



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 181. Comitia Pragæ in Bohemia a Cæsare habita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. cunctis Imperator die tertia Maij totius
 A. C. 1617. Bohemiæ comitia ad sextam Mensis Ju-
 nii diem indixit.

§. CLXXXI.

Comitia Pragæ in Bohemia a Cæsare habita.

*Arch. l. 22.
 p. 1508.
 Cluver. epit.
 p. 778.
 Schade p. 4.
 l. 6. p. 353.*

Præstituta igitur die omnibus Regni
 Ordinibus in arce Pragensi congregatis, atque assidentibus Maximiliano, & Ferdinando Archiducibus, Mathias Imperator exposuit, cupere se, ac petere, ut, quemadmodum Filii loco Ferdinandum ipse summo totius Austriacæ Domus assensu adoptasset, in eumque Successionis jus post extinctionem Maximilianæ stirpis masculæ translisset, idem ipsis quoque placeret, ac lubentes permetterent, ut Regni quoque Bohemici eundem sibi designaret Successorem, ipsi vero designatum Regis Bohemorum Electi titulo, ritumque publico, die ac loco ab eis constituendo coronarent, vicissim tamen Ferdinandus Ordinibus Regni Bohemici insequentes has leges juramento se obstringeret. „I. Quod vivente Mathia „Cæsare Bohemici Regni gubernacula „nunquam sit attacturus, nec Reipublicæ Regiæ, Cæsareæque negotiis intrufurus operam suam, nisi de ejusdem

„dem Cæsaris voluntate, & Ordinum Sæc. XVII.
 „consensu. II. His legibus stare usque A. C. 1617.
 „ad obitum Cæsaris, solo tantisper e-
 „lecti, coronatique Regis titulo con-
 „tentus III. Privilegia, atque im-
 „munitates Regni veteres, probasque
 „consuetudines ratas haberet, aliaque
 „cuncta, prioribus ab Regibus, insti-
 „tuto vetere, præstita, se quoque præ-
 „stiturum polliceretur.“

Postquam igitur Bohemiæ Ordines super hac Cæsaris propositione per biduum deliberarunt, consilium de eligendo Ferdinando non hominum, sed Dei opus videri, unanimi voce profitebantur omnes, polliciti, quod si præfatas leges se servaturum Ferdinandus sua Syngrapha spondisset, ipsi quoque Regni coronam quam primum Carolsteinio Pragam devehendam curaturi essent, diem vero inaugurationis, Junij Mensis vigesimam nonam, & coronationis locum, ædem arcis Pragensis Divo Vito Sacratam designarent: adimpletis denique utrinque pactis Adamus Sternbergius Comes Regiæ Pragensis Castellanus clara voce Ferdinandum Archiducem tanquam Bohemiæ Regem die nona Junij proclamabat, omni populo festive applaudente. Denique Ferdinandus præfixa die ab Archiepiscopo Pragensi coronatus est.

§. CLXXXII.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CLXXXII.

Philippi III. Hispaniarum Regis renuntiatio, ejusque approbatio a Mathia Cæsare, & Ferdinando facta.

Joan. Bapt. Nani l. c.
Wolfg. Jæger Hist. Eccl. l. 7. c. 6.
Khevenhill. tom. 8. pag. 1100.
du Mont. t. V. Part. II. pag. 298.
Ferras Hist. Hisp. tom. II. p. 246.
Calmet. hist. univ. l. 150. n. 20.

Cum autem necessarius quoque esset consensus Philippi III. Hispaniarum Regis, eo quod ex Anna Maximiliani II. Cæsaris Filia prognatus, jus in Provincias Germanicæ hæreditarias haberet, hinc conventum erat inter Ferdinandum, & Comitem Ognatum Hispanum tunc in Aula Cæsarea Legatum, ut Philippus juri suo quidem cederet, hæc tamen Provinciæ ad Hispaniam redirent, si deficeret Ferdinando proles mascula. Quapropter idem Legatus Regis sui jussu ac nomine diploma præfatæ cessionis die sexta Junij obtulit, cujus summa hæc est: „Cum Sacra „Cæsarea Majestas pro paterno suo in „Religionem Catholicam & Domum „Austriacam amore, se adhuc superstite, de futura successione Regnorum „Hungariæ, & Bohemiæ, & Provinciarum ad ea pertinentium prospicere „voluerit, atque hunc in finem Hispaniæ Regem induxerit ad ratam habendam renuntiationem per ejus Matrem

An-